



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XLV. Varijs S. Scripturæ locis ostenditur, pœnam talionis fuisse  
indicatam, & jaculatam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

ter & dolorem sentire cœpit, intellexit, se non digitum magi, sed suum nasum tenere; & si perrexisset, non alteri, sed sibi vulnus inflicturn fuisse. Vult enim illi versipellis artifex nasum facere dum eum denasare.

CAPVT XLV.

Varijs S. Scriptura locis ostenditur, pœnam talionis fuisse indicatam, & inculcatam.

**S**ed satis fabulæ talionem ostenderunt, in malis inferendis, & referendis. Id ipsum etiam sacræ litteræ sapius docent. Dauid enim ait: *Lacum aperuit, & effodit eum; & incidit in foueam, quam fecit: & filius eius: Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Item: *Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Quin & in Ecclesiastico legimus: *Qui foueam fodit, incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo; & qui laqueum alijs ponit, peribit in illo.* Ac ibidem: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera.* His similitudinibus diuina Scriptura ostendit, dolos & insidias in eum recidere solitas, qui illas alijs fraudulentè struit. Primam similitudinem à fouea sumptam, quidam ita exponunt, vt dicant, eum, qui alteri foueam, id est, sepulchrum aperit, vt ipsum secretò peremptum condat; Dei prouidentia, sæpe ipsum in eam inferri. Quo pacto multi filij patris sui mortem optantes, tumulum, & epitaphium ei, ante tempus fecerunt; sed ipsi priùs mortui, ibidem humati sunt. Alij, magis appositè, aiunt Salomonem ducere similitudinem à venatoribus, qui foueas, seu scrobes faciunt in semitis ferarum: easque vel gramine, vel stramine contegunt complanantque, vt bestias illac transeuntes deludant, incautusque incedentes & incidentes comprehendant. Quid si à bellis sumpta sit similitudo, in quibus aliquoties suffossis cuniculis hostis hostem dum captat, ipse capitur; bestijs vel flammis, per eisdem cuniculos illi obuiam missis? vt eadem via qua exitum indacere vrbi parabat, exitium recurrat ad fossorem. Idem quod *fouea*, significat in Psalmo *lacus*, hoc est, cella subterranea, carcer, sepulchrum. Ita quisquis dolos, & insidias, & foueas, quisquis calumnias, cu-

I.  
Psal 7. 16.  
Prou 26. 27.  
Ecclef. 10. 8.  
Eccli. 27. 29.  
Ibid. v. 28.



fradias, aut sepulchrum alteri parat, ipse iisdem, aut similibus fraudibus insidijsque, & malis peribit. Enimvero, ita homo dolosus & insidiator suis ipse dolis insidijsque plerumque comprehenditur, iisdemque artibus, quibus alijs nocere cogitat, sibi perniciem consciscit. Quod passim contingit ijs, qui volunt esse architecti fraudum & insidiarum; decipientes enim decipiuntur, vt Herodiscum Magis fallaciter agenti contigisse scribens Petrus Chrysologus ait: *Fremit dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum, quem tendit.* Eadem infra. *In altum tendens, cadit ab alto; calum pulsans, intrat profundum; in se vadit, qui vadit in Deum.* D. Cyrillus ait: *Semper persequentibus Ecclesia conatus ipsorum in caput reciderant; & tangunt suammet pupillam.*

Petrus Chrysol. ser. 152.

D. Cyrillus in Zachar. 11. 14.

## II.

Prov. 26. 27.

Altera similitudo est: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum;* quod plerique ita exponunt, vt dicant, sicut quis ex edito loco lapidem in alterius caput deuoluit, vt ex turri, vel monte, vel colle, qui ad eum redeat; ita sæpe contingit, vt illa ipsa pernicietas, quam per fraudem in alios molimur, in verticem nostrum remittatur. Hanc interpretationem non nemo putat violentam, eum fingat, lapidem contra naturam suam sursum redire, ac superiora loca repetere, vnde exierat. Sed non est contra naturam vim lapidis, etiam sursum resilire illisum; quamquam non resiliat, vsq; ad verticem montis aut turris. Sicut nec illud Ætne saxum, quo Acis adobrutus est, reuersum est ad Polyphemum, qui illud coniecit in fugientem. Fateor tamen posse etiam ita intelligi: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum,* non lapis ad voluentem, sed is ipse, qui eum lapidem demisit; quia vicissim & ipse è sublimi loco deuolutus in eundem lapidem incurret, & illiderur. Sic enim sæpe fit, vt is, qui è fastigio alicuius dignitatis, ad quam euectus est, inferiores & sibi subiectos percutit, aut damno aliquo afficit, pro merito suo obtineat; vt inde depulsus, aut deiectus, eadem, quæ alijs intulit, damna subire cogatur. Hac consideratione Sesostris Ægypti rex, qui interstitium à rubro mari ad Nilum profcindere adorsus est, cum quatuor duces loco equorum, currui iunxisset, supercilium posuit. Vidit enim ex his vnum identidem ad rotas respectantem, & reuolutionum vices contemplantem;

Quid. lib. 13. Metam.

Diodor. lib. 1.

plantem; didicitque, quemadmodum in rota radij jam supra feruntur, iam ad partes inferiores deuoluuntur, ita contingere inter mortales; ut illi qui hodie eminent, aliosque despiciunt, & premunt, cras ipsi quoque subsint, despiciantur, & premantur. Mihi tamen longè planior videtur tertius sensus. Neque enim necesse est, ut quando dicitur, *Qui uoluit lapidem, reuertetur ad eum*, id intelligendum sit de lapide deorsum deuoluto, quem necesse sit sursum reuerti, sed prorsus contrario modo, de lapide, qui magna vi sursum uoluitur, semperque suo pondere reuertitur ad uolentem, eumque premit, & verberat. Quod Latini ipsam significant noto illo prouerbio, *saxum uoluis*, quo indicant homines inexhausto atque inutili labore fatigatos. *Satis diu jam hoc saxum uoluo*, ait ille apud Comicum. Quod prouerbiū censeo Donatus tractum à Sisyphi fabula, saxum apud inferos sursum ac deorsum uoluentis. Verè sic *qui uoluit lapidem, reuertetur ad eum*.

Quo intellectu etiam dicitur: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet*; & quò altiùs mittit, fortiùs cadet. Seu autem lapidem mittat, seu sagittam, perinde est. Nam & sagitta, rectis lineis emissa recidit in caput jaculantis. Exemplo est Cretenis ille, super quem confixa aquila suo ipsius jaculo incidens, eum illo peremit, quod in Anthologia epigrammate duplici concinnè descriptum est. Ut ergo, qui vel lapidem, vel sagittam in altum mittit, ita qui alterum injurià petit, periclitatur, Cui æmulum est illud uerbum uetus: *In calum expuis*, id est, facis, quod in tuum ipsius caput recidat. Quæ quadrant in eos præcipuè, qui obloquuntur, aut injuriam impingunt his, qui facillè possint lædere. Siquidem, qui in calum expuit, primùm uidetur cæcites ipsos afficere contumelia: deinde fit sapius, ut sputum in ipsius faciem recidat. Nihil autem facilius est, quàm ut superior, si velit, malum reddat inferiori. Ut enim melioris est conditionis, qui ex loco altiore pugnat; ita semper plures habet tangendi inferiorem, percutiendique occasiones, quisquis eminet. Itaque, etsi neminem lædere oportet, nemo tamen periculosiùs læditur, quàm qui potest fulminare ex alto. *Durum est contra stimulum calcitrare*. Ad eundem scopum tendit illud: *Qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo*. Sunt, qui lapidem putent dici, quasi qui lædat pedem. Sæpe ergo

Terent. in  
Eunuch.

III.  
Eccli. 27. 28.

Anthol. lib. 6.  
epigr. 22.

Eccli. 27. 29.

ergo

ergo euenit, vt qui lapidem ponit alteri in offendiculum, ipse sui doli oblitus in eum incurrat imprudens; immò, vt qua re alium vincere voluit, eâ vincatur.

## IV.

Zachar. 12. 3.

Quod vt intelligas, aduerte ex D. Hieronymo, quòd à Propheta Zacharia *lapis oneris* vocetur. Vetus enim, in Iudæa, mos fuit, S. Hieronymi adhuc tempore, obseruatus, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi lapides ponderis grauissimi ponerentur, quibus sese iuvenes exercere solitabant, dum eos pro diuersitate virium subleuarunt, alij vsque ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros & caput, nonnulli super verticem, rectis junctisque manibus magnitudinem virium demonstrantes. Addit, etiam Græcorum morem similem fuisse. Nam se in arce Atheniensium, iuxta simulachrum Mineræ, vidisse sphæram aeneâ ponderis maximi, quam ipse pro imbecillitate corpusculi mouere vix potuerit: cum autem quaereret, quidnam sibi illud vellet? responsum ab vrbis eius auctoribus, athletarum in illa massa robur comprobari; nec prius ad agônem quemquam descendere, quam ex leuatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Talis lapis in aula quoque Monacensi monstratur, quem cum poëta, *partem haud exiguam* montis voces, sublatu, gestatus, projectus à fortissimo heroe Bauarie Duce.

## V.

Math. 23. 4.

*Qui statuit talem lapidem proximo suo* in certamen, & virium certamen, *offendet in eo*, quia si videat, quòd tollere eum alter non possit, inueniet se ipsum imparè, ad eum tollendum. Nihil est frequentius, quam vt alios contempnamus ob laborem, quem fugiunt, vel excusant, cum tamen eum ipsi perferre non possimus. Quo in genere superiores sæpe peccant. *Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauiora, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere: & sæpe non possunt.* Itaque, si forte mutata, eadem facere jubeantur, tunc demum in lapidem offendunt, quem ipsi alijs posuerunt; & *lapis oneris* ostendit illis suam imbecillitatem, qui infirmitatem aliorum agnoscere noluerunt. Tertia similitudo est. *Qui laqueum alijs ponit, peribit in illo:* quod etiam Dauid voluit monere, cum diceret: *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* S. Hieronymus legit: *in rete isto, quod occulauerunt.* Clemens Alexandrinus,

Ecclesi. 27. 29  
Psalm. 9. 16  
Clem. Alex.  
lib. 6. Strom.  
cap. 1.

nus, ceterique Patres aiunt, doceri per comparationem ex artis venandi opere minùs laborioso, & sumptuoso, scilicet per dolos retis, laquei, pedicæ, quibus minùs cautæ deladuntur, & capiuntur animantes, neminem alicui, per technas & fraude, injuriam parare, quin sibi quæque ipsi parat. Quod ibidem pluribus explicatur. *Infixa sunt gentes in interitum, quem fecerunt, inquit, ideò exultabo in salutare tuo.* Hostes enim plerumque in laqueos se inducunt, quos tenerent. Ideo igitur Dei de rebus humanis providentia est agnoscenda, speranda, & cum exultatione laudanda, quæta videmus peccatores alijs malum struentes, illo ipso malo irretitos comprehendendi, & innocios liberari. Ita enim, teste Caietano, vult Deus Ammonitas ob vetera delicta deleret, permittit Davidi movere bellum injustum, ut ipsi in eo corruerent. Ob hanc causam ibidem subiungitur: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Rectè autem peccata vocantur opera manuum nostrarum, quia propriè nostra sunt; uti & idola, quæ non sunt idola, nisi prout à nobis fiunt. Itaq; propter opera manuum nostrarum, & ob dolos, quos alijs machinamur, in eadem incidimus, quæ alijs machinamur. Ex qua ipsa poena cognoscetur Dominus iudicia faciens, & iustitia Dei, per ea ipsa homines, quæ faciunt, punientis.

Psal. 9. 16.

ib v. 17.

Psal. 27. 45.

VI.

Ecclef. 10. 8.

Quarta similitudo est: *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Damnum commune hoc est, quod homines solent hominibus inferre. 1. Ut limitem loco moveant, & terminos hortorum, pratorum, agrorum confundant, quæ omnia solent sepibus discriminari. 2. Ut equis & curribus viam aperiant, novamque fundi domino inducant transeundi servitutem. 3. Ut apris & cervis pascua monstrant, cum ingenti detrimento subditorum. 4. Vel laceratis sepibus fructus possint asportare hortorum, cuius se culpa reum in pueritia fuisse, confitetur S. Augustinus. 5. Ut inde sumant bacillos, quibus innitantur viatores. 6. Ut è materia sepium, habeatur materia ignium. Quod Milites norunt, qui focos ubi exeraunt, nullas sepes relinquunt. His omnibus modis læditur is, qui hortum, pratorem, agrumve circumsepit. At quo modo lædens vicissim læditur? *Mordebit eum coluber;* qui non rarò latet in herba, aut inter sepes tegitur, & velut Hesperidum hortum fabriculosus

T t t

bulofus

S. Greg. lib. 1.  
Dial, cap. 3.

bulosus ille draco, poma custodit. Audi S. Gregorium. *In eodem, inquit, monasterio ( Fundensi ) quidam magna vita Monachus erat hortulanus. Fur verò venire consueverat, & per sepem ascendere, & occultè olera auferre. Cumq; ille multa plantaret, qua minus inueniret, & alia pedibus conculcata, alia direpta conficeret: totum hortum circumiens, inuenit iter, vnde fur venire consueverat. Qui in eodem horto deambulans, reperit etiam serpentem, cui praeicipiens dixit: sequere me: atq; ad aditum furis perueniens, imperans serpenti, dicens: In nomine Iesu Christi praeipio tibi, ut aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas. Protinus serpens totum se in itinere in transuersum tendit, & ad cellam monachus rediit. Cumq; meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito, fur aduenit, ascendit sepem, & cum in hortu pedem poneret, vidit subito, quia extensus serpens clausisset viam, & tremefactus post semetipsum concidit, eiusq; pes per calceamentum in fude sepi inhaesit, sicq; vsquedum hortulanus rediret, deorsum capite pendit. Consuetam horam venit hortulanus, pendentem in sepe furem reperit. serpenti autem dixit: Gratias ago Deo, implèsti, quod iussi: recede modo: qui statim abscessit, ad furem verò perueniens, ait: quid est frater? eradidit te mihi Deus, quare in labore monachorum furtum facere toties presumpxisti? qui hac dicens, pedem illius à sepe, in qua inhaeserat, soluit, eumq; sine lesione deposuit. Cui dixit: sequere me: quem sequentem duxit ad horti aditum, & olera, qua furto appetebat auferre, ei cum magna dulcedine praeiuit, dicens: Vade, & post hac furtum non faciu: sed cum necesse habes, huc ad me ingredere, & qua tu cum peccato laboras tollere, ego tibi deuotus dabo. Furto laetit hortulanum ille, & ut laederet, sepem dissipauit; laedendus vicissim, nisi Deus, ad mentem hortulani aspexisset. Etenim coluber eum momordisset, nisi bonus ille Religiosus, furtum magis, quam furem odisset.*

VII.

Laert. in vita eius.

Nec nouum est, serpentes esse hortorum custodes, cum legantur & hominum fuisse defensores. Heraclides Ponticus Philosophus draconem habuit mansuefactum, eunti & quiescenti solitum adesse, & assistere velut comitem. Didymus Abbas & Anachoreta colubros & serpentes innoxios tractabat. *Ciniscus est in Achaia, nomine Patra, ait Aelianus. In ea puer ( Thoas ) draconem paruulum emebat. magnamq; cum cura educabat, cumq; creuisset, loquebatur quasi eum intelligente, ludens ac derisus eum ipso. Cum autem*

Aelian. lib. 13.  
Vapian. c. 46.

verò ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à Cini-  
nibus est dimissus. Post cùm puer adolescens factus reuersus à spectaculo  
quodam cum aliquibus aequalibus in latrones incidisset, & clamorem ex-  
tulisset, ecce draco praesto est, & alios in fugam vertit, alios interimit,  
ipsum verò saluum conseruat.

Nonne hos coluber momordit, cùm iuuenem hunc, tam- VIII.  
quam sepem dissipare vellent? Quamuis & alius est, coluber cor- Iob. 26. 13.  
mosus, qui in Paradiso primos parentes momordit, de quo scriptũ  
est: *Non est caput nequius super caput colubri*, qui mordet Dei le- Eccli. 25. 22.  
gem, tamquam sepem, dissipantes, nec damnum dumtaxat dam-  
no, sed vtique longè grauius damnum reponit. Quanta enim,  
cumque sit iniuria alteri illata, numquam tamen tantum est ma-  
lum, quantum sustinet is, qui iniuriam infert. Ille in pecunijs, in  
fama, in corpore aliquid patitur; at iniuriosus mordetur à suæ  
conscientiæ verme, & à peccato de quo dicitur: *Quasi à facie colu-*  
*bri fuge peccata*. Et, si vel modica iniuria, si sepi laceratio sine pœ- Eccli. 21. 2.  
na non abit; quid ei fiet, qui nomen, qui famam alterius lacerat?  
*Qui dissipat sepem*, ait, *mordebit eum coluber*. Audi, quid sanctissimæ Eccl. 10. 8.  
feminae acciderit, ob sepem quàm parcissimè dissipatam, sepem  
aperuit, & sibi templum, per angelos aperiri solitum, clausit:  
Raderi verba, & venatoribus alijsque sepium dissipatoribus dili-  
genter considerandam historiam accipe. *Kunigundis*, seu *Cunissa* Math. Ra-  
nobilissimo dynasta *Conrado Comite Oeningensi*, ad lacum *Acronianum*, der. in Baua-  
nepote *Othonis Magni Imperatoris* ex filia *Richardita*, oriunda *Friderico* ria Pia. pag.  
*II. Andecensi regulo*, *Arbonis filio*, *Friderici I. Comitis And.* nepote 28.  
*B. Rathonis* seu *Rassonis* pronepti nupta, post mariti in peregrinatione  
*Hierosolymitana* defuncti mortem, & dotem suam, & quidquid opum  
possedit Christo consecrauit, modicâ sibi ad vitam emendam portione re-  
tentâ. Imperante namque *Henrico S. Imperatore* Cœnobium nobile  
Canonicis, qui *D. Augustini* leges sequuntur, ad *D. Stephani* cultum  
& venerationem in agro *Diesensis* oppidi, à quo Cœnobium nomen ac-  
cepit, condidit, ibidemq; vitam sanctissimè traduxit. Modicam quip-  
pe cellam in *D. Stephani* aede, qua occidentem spectat, paululum a pa-  
nimento sub testudine elatam posuit, vbi sub rem diuinam condita Deo  
precibus vorisq; litauit. Ceterum haud procul inde supra saltum in ca-  
stro ad *Villegium Vengariano* morabatur, vnde sub nocturnas religio-



forum preces unâ duxerat ancillâ comitata descendebat ad D. Stephanum templum, cuius valvas per caelestes ianitores reductis vectium ropagus. sibi sibi semper patere animadvertit, nisi quod semel duxerat clausus fessit, cum in descensu per agros & campos, ut imbrium de calo cadentium aquis iter cœno & ludo impeditum facilius expediret. sudem è proximâ pauperis villani sepe extraxit, quo corpus ne fallentibus vestigijs in cœnum prolaberetur, sustineret. Tum verò mirata quid esses, quamobrè sibi praeclusa adis sacra ianna esset, qua alias semper sponte parmissis, ali- quid ab se haud dubie offensum, quo aditum prohiberes, cumq; in se al- tius descendisset, & omnes animi latebras perscrutaretur, si quid depre- benderet, quo numinis clementiam ab se auertisset, nihil tamen (tanta vivebat mulier innocentia) posses reperire, quo deliquisset, tandem an- cilla, vide, inquit, domina, ne conuulso palo soluta & aperta abs te sepi- aliena series tibi portam templi praecluserit. Et hoc ipsum erat, quod à sacrario, innocentem alioquin, matronam prohibebat, nam simul palus suo loco restitutus est, & apertum sepi interuallum expletum, illa ad templum & cellam suam in templo sitam, referatis iterum diuinis valvarum claustris, liberum aditum inuenit.

## IX.

Psal. 136. 8.

Oseez 12. 14.

Psal. 9. 17.

Prou. 22. 8.

Psal 7. 17.

Abdiz v. 15.

Quod per dictas similitudines expressum est, id etiam sine si- militudine alijs sententijs passim significauit Scriptura. Et qui- dem à Deo esse talionē indicat Dauid: *Beatus, qui retribuet tibi re- tributionem tuam, quam retribuisti nobis: & Oseez: Opprobrium eius resuruet ei Dominus.* Ita quasi mutuum domino suo restituendum opprobrium reputatur. Eodem spectat illud: *In operibus manuum suarum comprehenditur peccator,* qui etsi virga Dei est, qua casti- gantur rei, si tamen plus fecit, quàm iubetur, & fas est, & facit, quantum permittitur, tandem & ipse, tamquam virga in ignem mittitur. Hinc legimus: *Virga ire sue consummabitur.* Irascetur, & tamquam virga puniet, sed & ipse puniens punietur. Quia *con- uertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsum iniquitas eius des- cendet.* Quod etiam Abdias minitans ait: *Retributionem tuam con- uertet in caput tuum.* Quibus in locis etsi consueta phrasi sacre linguæ ingens supplicij genus exprimat, cum dicitur, pœnam in alicuius caput conuerti, eò quod caput præcipuum sit in cor- pore; tamen etiam innuitur, mala in anthonem, atque in princi- pium suum reuerti, vt cum Propertius quoque dicit:

Flumina

*Fluminaq; ad caput incipient remocare liquores.*

Quo pacto exploratores ad Rahab aiunt: *Qui ostium domus sue egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.* Hoc pactum pepigerunt Hebraei duo, cum hospite sua. Duo autem falsi testes, apud Danielem, dicuntur *mentiri in caput suum*, mendacio scilicet in caput eorum redituro. Atque hæc de talione in genere dicuntur. Particulatim proximus vel iudicio, vel verbo, vel facto violatur; quo ordine & nos talionem prosequemur, ut constet, *judicia Domini esse vera, iustificata in semetipsa, & aliquando ita claram ac manifestam Dei paria reponentis poenam, ut est lumen meridies.* In hoc triplici læsionis genere, quicumque ius alterius violat, sibi dictum putet, quod senior Tobias filio suo paternè inculcavit: *Quod ab alio oderis tibi fieri, ne tu alteri facias.*

Propert. lib. 2. eleg. 5.  
Iosue. 2. 19.

Dan. 13. 55. 59.

Psal. 18. 10.

Psal. 36. 6.

Tob. 4. 16.

CAPVT XLVI.

*Iudicium temerarium talione punitum, & puniendum.*

**Q**uemadmodum non sine sacrilega blasphemia, ita neque sine stulta infania hæretici Luciferiani Deum accusauerunt, quòd eiecerit de caelo Luciferum, pessimi spiritus mali patroni: Marcionista autem, quòd indurauerit Pharaonem, & in mari rubro submerferit exercitum Egyptiorum: Thalmudista denique, qui dicere audeat, Deum sæpe flere: quòd euerterit templum, Iudæosque disperferit. Quasi verò summus Iudex male iudicauerit, quando illum de caelo expulit, qui Altissimum ipsum voluit de solio deturbare; aut quando crudelem regem aquis extinxit, qui in tot infantibus submersis extinguere tentavit totam gentem Hebræorum, vel quando illos disperfit, qui Filium illius, eiusdem gloriæ & diuinitatis participem, infamissimo genere mortis interimentes, in crucem sustulerunt. Itaq; Deus est *fidelis, & absq; ulla iniquitate, iustus, & rectus*; quia *rectum iudicium eius.* Quid enim? an permittere debet, ut homo nullo delectu, ita temerè iudicans, aut suspitionibus sinistris alterum vulnerans impunè ferat iudicium ac suspiciones? Tunc injustus esset, si non iudicaret, & mala non plecteret. Ut ergo & alios deterreret à temerè

I.

S. Thom. 1.  
cont. Gent.  
cap. 95.  
Irenæ. lib. 4.  
c. 47 & 48.  
Thalmud  
ord. 1. Dist. 5.  
& S. Thom. 1.  
cont. Gent.  
cap. 6.

Deut. 32. 41.

Psal. 118. 137.